

nomi, hanc diuersitatem motus Solis, ceterorumq; planetarum, fere eisdem limitibus claudi, circumferriq; eos in circulo, cuius declinatio maxima ab æquinoctiali comprehendit grad. 23 & semis, & consequenter eius poli totidem gradibus a mundi polis distant, asseruerunt, hunc motum fieri super polos Zodiaci, & per circulum Zodiacum. Quo posito facillime omnes diuersitates predictæ locum habent, vt in sphaera aliqua materiali perspicue cerni potest.

OMNIA vero hæc infallibili ratione in sphaera quoque octaua deprehensa fuisse. Postquam enim diligentissimi illi stellarum obseruatores inuellererunt, stellas fixas sensim ab occiden. tendere in orientem animaduertunt hunc motum fieri super distinctos polos a polis mundi: Nam non semper in eisdem locis ortæ sunt stellæ, in quibus nunc oriuntur, respectu eiusdem Horizontis: Pari ratione altitudines meridianæ stellarum fixarum non eadem existunt hoc tempore cum ijs, quas antiqui Astronomi obseruauerunt. Non igitur super polos mundi reuertuntur ab occidente in orientem stellæ fixæ. Præterea stellæ fixæ, vt Ptolemæus Dist. 7, cap. 3. & Ioan. de Regiomon. in Epitome eiusdem Dictionis asserunt, multisq; obseruationibus comprobant, non semper æqualem distantiam cum æquinoctiali circulo habent. Declinationes etenim earum ab æquinoctiali circulo variæ repertæ fuerunt, ita vt earum stellarum, quæ sunt in medietate sphaeræ, quæ est a principio ♀ per ♃ ad principium ♄ usq; declinationes australes quidem diminuta, septentrionales vero auctæ fuerint: E contra illarum stellarum, quæ sunt in reliqua medietate sphaeræ, quæ nimirum continetur a principio ♄ per ♀ usq; ad principium ♁ declinationes australes quidem augeri, septentrionales vero diminui repertæ sunt; (Declinationem australem dicimus habere illam stellam, quæ ab æquinoctiali circulo versus polum antarcticum declinat; Septentrionalē vero eam stellam, quæ ab eodem circulo ad arcticum polum vergit) Et quo propinquiores sunt stelle principio ♃ & ♄ primi mobilis, eo maior diuersitas declinationis apparuerit, Quo autem propinquiores principio ♄ & principio ♁, eo minorem varietatem declinationis susceperunt. Quod vt melius intelligatur, adducā unum aut alterum exemplum e x Ptolemæo, & Ioan. Regiomon: Stella quæ vocatur a Latinis oculus ♄, tempore Timocaris declinabat ab æquinoctiali versus septentrionē grad. 8. & semis & paulo amplius: Tempore vero Abrachis grad. 9. min. 45. tempore deinde Ptole-